

MEMORIAE

*Illustris & Generosa Baronissa Domina
Eva, ex veteri & illustri familia Generosorum
Baronum à SCHONBURG, Domina in HOIERSCH-
VERDA, &c. Illustris & Generosi Baronis Domini ALBERTI SCHEN-
CKEN, Domini à LANDTSBERGK, Domini in LEUTEN, BUCHOLTZ,
TEUPITZ & VVUSTERHAUSEN, relicta Vidua bene merita
& incomparabilis sanctæ vitæ p. m. functa.*

Ex hac vita in cœlestem patriam placidè evocat: die

8. Septemb. Anno

Miseri Cordi tva ab Inltio Iehova.

Mors sua quemq; manet, seu cui flos integer ævi
Seu tremit effæto corpore laxa cutis.
Et morimur, seu nos virtus subvexit in altum,
Seu nos pauperies serpere fecit humi.

Nil valet hic ætas, nil aurea præstat opum vis,

Nil valet impasti corporis ægra fames,

Nil decus aut proavi, nil vis adamantina terræ,

Nil bona, nil culti jugera mille soli.

Obscuri, celebresq; cadunt discrimine nullo,

Una capit Morychum cymba Thalenq; capis.

Vidi equidem Chironis ope protollere mortem,

Sed mortem membris non levat artis opus.

Id Shonburgica morte suâ jam ipsa fatetur,

Quam sibi non pridem spes inopinata tulit.

O spes fallaces! quibus æquum Nestoris ævo.

Spondemus spacium perpetuosq; dies:

Omnia sunt pulvis, sunt risus & omnia sunt nil,

Seu vitam spectes, seu bona, sive decus.

Qui jam floret homo, ceu plantula manè virescens,

Sole sub occiduo marcet & aret humo.

Si quem nobilior generis prosapia, virtus,

Immunem mortis conditione, dedit:

Ast hæc vita fugax est, & brevis exitus ævi,

Rebus & adversis plena, labore malo.

Hem, sine mors ullo discrimine, quemlibet aufert,

Sive pius fuerit, seu scelerosus homo.

Triste simul tollit senium, lætamq; juventam,

Nec puero parcat, nec Libitina seni.

Divi